



ISTITUTO NAZIONALE  
DI STUDI ROMANI

PER.  
LAT

020

BIBLIOTECA

**Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse**

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1942—43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. — Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

**Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-067).**

**Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. IV. 6. (tel.: 468-099)**

**Nuntii recentissimi.**

**Nuntii bellici.** Angli Americanique deliberationibus constituere experiebantur, quid Africa tota occupata faciendum esset. Quia diuturnitas belli etiam democratiis periculosa est, nunc summa vi et Iaponios in Asia, et Europam aggredi volunt. Praecipue continuo impetu aërio Italos cogere conantur, ut socios suos, Germanos, deserant pacemque petant, quo facto Italos quoque locum sub sole accepturos esse Angli pollicentur. Sed Itali illecebras has fraudulentas contemnunt.

**De amicis IUVENTUTIS 1.** *John E. Harrison* magister linguae Latinae in Scotia, qui ante hoc bellum suis cum discipulis IUVENTUTIS lector erat, nunc miles captivus alicubi in Germania custoditur et in chartula postali, cuius imago pag. 74. publicatur, administratori scribit se singulos fasciculos IUVENTUTIS etiam in captivitate legere velle. Alius miles, *Ioannes Schenk* gregarius electus (örvezető = Gefreiter = soldat de première classe) ex castris, ubi stipendium meret, longa epistola ephemeridem nostram laudibus effert, quam legendo peritiam linguae Latinae oblivioni traditae celeriter renovavit. Etiam *A. M. Alba-*


*redo* praefectus Bibliothecae Apostolicae Vaticanae pulchris verbis pro fasciculis IUVENTUTIS gratias egit.

**2) Praemium diligentiae et peritiae latine scribendi hoc anno scholastico exeunte adiudicatum est: Belae Árkosy** (Cisterc.), **Alexandro Weber** (Sch. Piaie), **Veronae Sziávik** (Angelanum), **Evae Nemes** (Elisabetheum), **Iulio Szedenies** (Toldyanum), **Catharinae Szécsi** (Veresianum), **Budapestinensibus, Roberto Frankl** Mátyásföldiensi, **Friderico Kreiner** M.-Canissano, **Hugoni Rácz** Makenensi, **Margarethae Bella** (Ursulanum) et **Theodoro Belházy** (gymn. O. S. Bened.) Scarabantinis.

**Certamen corrigendi.** Iocosa a quodam discipulo mendose scripta, mense Martio ad corrigendum proposita, hic corriguntur:

1. *Discipulus diligens ad negligentem: Perche<sup>1</sup> non fuisti hodie in templo? — Negligens: Habeo<sup>2</sup> audire<sup>3</sup> tantas<sup>3</sup> praedicationes in schola et domi.*

<sup>1</sup> Cur?    <sup>2</sup> Audivi    <sup>3</sup> tales pr.; satis praedicationum



Templum Messenium pyroholis aëriis Anglo-Saxonum dirutum. Pars interior aëroplani Britannici pyroholorum missoris

Kriegsgefangenenpost

Mit Luftpost  
Par Avion

Postkarte

An  
GEPRIJ

30  
Gebührenfrei

Absender:  
Vor- und Zuname: F/O JOHN E. HARRISON  
Gefangenenummer: 823  
Lager-Bezeichnung: M.-Stammlager Luft 3  
Deutschland (Germany)

Empfangsort: BUDA-PEST  
Straße: BARCSY UTCA  
Land: UNGARN.  
Landesteil (Provinz usw.)

15 145 1112  
2

Taxe perdue  
10

DER LATINISCHEN ZEITUNG "JUVENTUS"

Vide pag. 73.

2. A: Doleo hodie non potesse<sup>4</sup> cenare. Deest fames.<sup>5</sup>  
— B: Felix, tu! Ego habeo<sup>6</sup> famem<sup>6</sup> et non habeo  
quod cenare.<sup>7</sup> 3. A (amicum caelum spectantem imi-  
tans): Quod<sup>8</sup> vides in caelo, amice? — B: Stultum,  
qui me rogat. Et tu quod<sup>8</sup> vides? — A: Idem. Video  
te. 4. In schola femina<sup>9</sup> superiore discipulae magno  
cum clamore turbant magistram. Haec ira ingenti  
exclamat: «Preferisco<sup>10</sup> occupata esse cum<sup>11</sup> quinque  
pueris, quam cum<sup>11</sup> una puella!» Discipulae sedibus<sup>12</sup>  
exsiliens cum gaudio<sup>13</sup> magno<sup>13</sup> clamitant: Etiam  
ego! . . . etiam ego! . . . etiam ego!

<sup>4</sup> posse me = quod possum <sup>5</sup> deest mihi fames = non  
laboro fame <sup>6</sup> fame laboro, esurio <sup>7</sup> cenem, edam  
<sup>8</sup> quid? <sup>9</sup> puellarum <sup>10</sup> praeopto, malo <sup>11</sup> praeposi-  
tio omittenda est <sup>12</sup> de aut ex sedibus <sup>13</sup> magno cum  
gaudio

Optime corrigendo praemium meruit Clara  
Kömlecs (Ursulanum Scarabantinum), laudantur  
Iulius Keszthelyi (Kaposvár) et Eugenius Gött  
(Cisterc., Albae Regiae).

## De medicorum antiquorum iureiurando.<sup>1</sup>

Latine reddidit: Al. Weber, disc. Sch. P. BP.

Quanti medici, «qui salutari levant arte fessos  
corporis artus»,<sup>2</sup> a veteribus aestimati sint, optime  
demonstrat, quod Horatius,<sup>3</sup> Homerus, Tacitus<sup>3</sup>  
et multi alii de medicis dicunt. Etiam quodam anti-  
quo medicorum iure iurando antiquitatem in  
ethicā medicorum temporibus nostris non cessisse<sup>4</sup>  
probat. Verba iuris iurandi, quod cum nomine  
Hippocratis Coi, artium medicinae magistri, anno  
a. Chr. 460-o nati coniunctum est, sunt haec: «Duro  
per Apollinem Paeonem et Asclepium et Hygieiam  
et Panaceam et deos et deas, quos hic testor, me  
summā vi atque facultate his officiis satisfactorum  
esse: Magistrum, a quo artem Apollineam doctus  
sum, aequae, ac parentes meos, semper venerabor;  
conferam ei ad victum;<sup>5</sup> ei in necessitate adiutorum  
ero, eius subolem<sup>6</sup> pro fratribus habebō eosque  
hanc scientiam, si huic se dederint, sine mercede  
docebo. Artem medendi filiis meis ac magistri

mei, iisque omnibus, qui ius iurand-  
um dederint, tradam, sed aliis  
non. Secundum facultatem et  
scientiam meam vitae rationem  
aegrotorum ad ipsorum salutem  
dirigam et omnia, quae iis nocere  
possunt, prohibebo. Nemini venum-  
um mortiferum, ne rogatus qui-  
dem parabo, neque cuiquam huius  
consilii<sup>7</sup> auctor<sup>7</sup> ero.<sup>7</sup> Castam et  
sanctam vitam meam scientiam-  
que servabo, quaeque inter curan-  
dum, quin etiam in hominum con-  
versatione videro aut audivero,  
nunquam proferam, sed silentio<sup>8</sup>  
tegam.<sup>8</sup> Quod ius iurandum ser-  
vanti sit mihi fas usque ad finem  
vitae ex scientiā meā vitaeque  
voluptatem<sup>9</sup> capere.<sup>9</sup> At iusiuran-  
dum negligenti mihi, omnia mala  
et irae<sup>10</sup> caelestes<sup>10</sup> acciduntō.  
(Ex actis diurnis Pester Lloyd).

<sup>1</sup> eskümlnta = Eidesformel = for-  
mule du serment <sup>2</sup> Hor. Carm.  
saec. 63—64; <sup>3</sup> Epist. I. 15 3.; Tac. Ann. VI 50  
<sup>4</sup> alacsonyabb fokon van = zurückstehen = être inférieur  
<sup>5</sup> létfenntartás = Lebensunterhalt = subsistance <sup>6</sup> ivadék  
= Nachkommen = descendants <sup>7</sup> tanácsot ad = Rat-  
schlag erteilen = aider qn de ses conseils <sup>8</sup> titokban tart  
= geheim halten = tenir secret <sup>9</sup> gaudere <sup>10</sup> átok =  
Fluch = malédiction

## Pelöfi: Quoad dormis, patria?

Quoad dormis, patria?  
Experrectus gallus,  
Nuntiavit iam pridem  
Lucem eius cantus.

Quoad dormis, patria?  
Irruunt in vastum  
Pratum tuum vagantes  
Equi passim pastum.

Quoad dormis, patria?  
Scisne solem ortum?  
Splendor influens tuum  
Non irritat voltum?

Quoad dormis, patria?  
Vinitor non bellam  
Vitem tuam colit, sed  
Vinariam cellam.

Quoad dormis, patria?  
Iam passerem cerno  
Ventrem valde farcire  
In tuo acervo.

Quoad dormis, patria?  
Vicini arantes  
Agri tui marginem  
Ad suas arant res.

Quoad dormis, patria?  
Surrexit et felix,  
En circa sinum tuum  
Lactis navat felix.

Quoad dormis, patria?  
Donec ardet limen  
Et campana pulsata  
Indicat discrimen?

Quoad dormis, patria,  
Hungaria pulchra?  
Non experges iam nisi  
In vita futura.

Latine reddidit Vinc. Bors Szegedinensis

## De aegroto, qui denuo sanatus est.

Erat quidam vir opibus maxime abundans,  
qui totos dies nulla alia re consumebat, nisi edendo,  
potando, fumando,<sup>1</sup> per fenestram spectando. Quo  
modo vitam agens tam pinguis factus est, ut vix se  
movere posset. Cibi non placebant ei, dormire non  
poterat, semperque se aegrum esse querebatur.  
Frustra erant consilia medicorum; hi nequibant

<sup>1</sup> dohányoz = rauchen = fumer.

opem ferre viro, qui de vitae consuetudine nihil mutaturus erat.

Aliquando autem fama pervenit ad eum medici in urbe admodum longinqua habitantis, qui omnibus aegrotis mederi posse ferebatur. «En habeo medicum, qui me curabit», cogitabat secum vir semper morbo affectus. Sine mora mensae adsedit scripturam epistolam, qua malum suum medico aperiret. Epistolā perfectā medicus statim intellexit, quid viro deesset, atque continuo ei respondit: in eius stomacho draconem exitialem septem capitibus habitare, qui vastandus esset. Se suadere aegroto, ut extemplo ad se veniret, sed modo per<sup>3</sup> pedes<sup>3</sup> apostolorum,<sup>3</sup> atque iter faciens quam minimum ederet, neque aliter fieri posse, quin ipse ei auxilio esset.

Vir aegrotus adeo confidebat medico, ut eius praecepta omnino sequi constitueret. Postquam igitur se ad longum iter praeparavit, quodam mane viam iniit. Initio molestissimum erat ei pedibus ire et tantum limacis<sup>4</sup> modo procedebat. At cum videret campos florum plenos, sonitusque avium audiret, tanto gaudio est impletus, quanto nunquam. In urbem medici perveniens deversorium<sup>5</sup> sibi quaesivit, unde postridie somno satiatius se<sup>6</sup> ad medicum reddidit,<sup>6</sup> neque autem scivit, quid ei diceret. Vir doctus aegrotum ad se intrantem hortatus est, ut eum de omnibus suis malis certiore<sup>7</sup> faceret.<sup>7</sup> «Domine, inquit homo aeger, nunquam eram tam sanus, quam hodie; at sentio haec solum tibi debere.»<sup>8</sup> Medicus ridens: «Optime fecisti, quod consilio meo oboedieras. Scito autem draconem quidem periisse, sed adhuc in tuo stomacho esse illius ova, quae illico excludantur,<sup>9</sup> si redeas ad priorem vitae rationem<sup>10</sup>. Proficiscere nunc iterum pedibus domum, ibi diligentissime labora semperque modum<sup>11</sup> adhibe<sup>11</sup> in edendo».

Vir ad valetudinem reductus, qui postea etiam triginta vixit annos, medicum singulis annis<sup>12</sup> inebitibus<sup>12</sup> locupletissimo donavit praemio.

In Latinum transtulit *Arnoldus Pányi* (Cassoviae).

<sup>2</sup> sárkány = Drache = dragon <sup>3</sup> gyalog = zu Fuss = à pied <sup>4</sup> csiga = Schnecke = limacon <sup>5</sup> szállás = Herberge = logis <sup>6</sup> ivit <sup>7</sup> felvilágosít = aufklären = renseigner <sup>8</sup> köszönet = verdanken = devoir <sup>9</sup> kikél = ausschlüpfen = éclore <sup>10</sup> mód = Weise = manière <sup>11</sup> mérték tartani = Maas halten = se modérer <sup>12</sup> initio novi anni

## De largitore<sup>1</sup> sanguinis<sup>1</sup> primario.

*Stephanus Pintér* officialis urbanus Szegedinensis, qui hoc titulo superbo gloriari potest, adhuc ferme 400 hominibus vitam reddidit, dum ipse quoque vitam suam in periculum commisit. In corpore eius ingenti animus fortissimus optimusque habitat. *Vincentius Lakatos* diurnarius<sup>2</sup> actorum diurnorum, quae inscribuntur *Nemzeti Ujság*, postquam, sermonem habuit cum eo, nonnullos vitae casus aptos ad alliciendos lectorum animos descripsit.

Affinis<sup>3</sup> eius, medicus, aliquando dixit: «Tu homo valetudinis optimae staturaque magnā es, tuo sanguine multos et aegros adiuvere possum homines». *Stephanus Pintér* paratus erat adiuvere et postea fere 40 hominibus transfusae sunt ex sanguine eius singulis vicinae (20—20) centilitrae cubicae. Primum copiam maiorem sanguinis cuidam operariae<sup>4</sup> largitus est. Iam spiritum extremum ducebat femina, cum ex sanguine *Stephani Pintér* 8 decilitris infusus brevi tempore sanata est, paulo post nupsit, nunc autem iam liberos habet pulcherrimos. Sanguis enim *Stephani Pintér*

vini habet specialem, nonnunquam aegrotos morbo haemorrhagiae<sup>5</sup> afflictos solum sanguis eius adiuvit. Aliquando uxor medici in valetudinarium<sup>6</sup> vecta est. Iam nullā re, nisi iniectionibus in vita servabatur. Telephonice nuntiatum est *Stephano Pintér*, qui statim in valetudinarium cucurrit et 1.5 litras sanguinis largitus est. Mulier ad se de limine mortis rediit, quae videntibus animi omnibus commoti sunt, cum maritus uxorem flens complexus est.

Accidit, ut medici iam desperarent de quodam aegroto, qui pauper famulus herilis<sup>7</sup> erat, pater septem liberorum. Quem cum *Stephanus Pintér* aegrum vivere vidisset, ipse adhortatus est medicos, ut transfusione sanguinis uterentur. Medici desperati primum noluerunt rem vanam experiri, sed tamen aggrediebantur et vir post quindecim dies suo pede abiit ex valetudinario. In clinica quondam 19 pueri extremum spiritum ducebant, quorum 17 pueris largitus est sanguinem et omnes in vita remanserunt.

Sanitate receptā omnes gratiā maximā et amore quasi fraterno diligunt conservatorem suum. Evenit, ut in via clamitantes appellent: «Domine *Pintér*, domine *Pintér*!» Ecce mater ostendit filium pinguem et sanum in manibus tenens: «Deus fortunet te, — inquit — nisi adiuvises, filius meus iam mortuus esset!» Fluidum mirabile est sanguis: vitam significat! Hunc largitur *Steph. Pintér* misericordiā et amore hominum motus. Sex annis fere 400 hominibus plus quam 120 litras largitus est sanguinis sui, quo factō plurimas familias in aeternum beatas reddidit et sibi obstrinxit.<sup>7</sup>

*Iosephus Tóth dr.* (Pestszentlőrinc).

<sup>1</sup> véradó = Blutspender = donneur de sang <sup>2</sup> reporter <sup>3</sup> sógor = Schwager = beau-frère <sup>4</sup> munkásnő = Arbeiterin = ouvrière <sup>5</sup> vérzés = Blutung = hémorragie <sup>6</sup> kórház = Krankenhaus = hôpital <sup>7</sup> domesticus <sup>8</sup> lekötél = verpflichtet = obliger

## Cantus violinae mendax. (2)

Scriptis *Bela Endrődy*. Latine reddidit ex actis diurnis «*Nemzeti Ujság*» *Dr. Elisabetha Nagy Bp.*

Paulo post et ipse domo abii et in itinere intravi coffeariam<sup>23</sup> in trivio<sup>24</sup> sitam, ut celeriter coffeam biberem. Vix consedi apud mensam, cum

<sup>23</sup> kávéház = Kaffeehaus = café <sup>24</sup> utcasarok = Straßenecke = coin de rue



Cingari fidibus (violina) canendo *Ladislaó Rác* XXXVI-o regi Cingarorum mortuo vale dicunt.

conspexi vicinum hominem quendam iuvenem concitatum, qui paginas actorum<sup>25</sup> diurnorum<sup>25</sup> percurrentis speciem<sup>26</sup> praebens<sup>26</sup> furtim assidue portam coffeariae observavit. «Constitutum!<sup>27</sup> — dixi tecum indulgenter.<sup>28</sup> Minuto sequenti velum<sup>29</sup> vide portam coffeariae obtegens dimotum est et apparuit mulier illa pallida macraque, quae paulo ante in ianuā domicilii mei tinnivit. Rectā perrexit ad mensam iuvenis concitati ibique tacita constitit.

— Quantum est? — interrogavit iuvenis.

— Undeviginti — respondit mulier aequae breviter, ac prius mihi interroganti responsa dedit.

— Euge!<sup>30</sup> — dixit iuvenis et celeriter numerare coeperat copiam nummorum profusam. Mulier indifferenter, quid iuvenis faceret, spectabat, postea dixit: «Festino!» Iuvenis pecuniam ei dedit dicens: «Cras continuabimus! En habes 10% (decimam)».

Ergo mulier unum pengonem et nonaginta nummulum secum portans abiit, iuvenis autem pengone e copiā nummorum excepto mensam marmoream pulsavit: «Solvere volo!» Quem pengonem, quem «saltem unum pengonem» «uxor mea» ei dedit.

Primum haec cogitabam: comprehendo «violinistam diplomate ornatum» tradoque eum custodi<sup>31</sup> publico<sup>31</sup>. Sed postea abhorrui ab offensione<sup>32</sup> publica et abii. Sed mordeor conscientiam, ne et alii detrimentum capiant, non solum ego, sed et creduli stipem dantes et veri egeni. Ideo descripsi historiam meam utilem, quā uxores omnium edocerentur. Nolite credere, quaeso, cantui precanti «violinistae diplomate ornatu!» Nam tota fallacia est.

*Finis.*

<sup>25</sup> újság = Zeitung = journal <sup>26</sup> látszólag = scheinbar = apparemment <sup>27</sup> légyott = Stelldichein = rendez-vous <sup>28</sup> elnézően = nachsichtsvoll = avec indulgence <sup>29</sup> függöny = Vorhang = rideau <sup>30</sup> bravo! <sup>31</sup> rendőr = Schutzmann = policier <sup>32</sup> botrány = Skandal = scandale

## Quomodo subita potio vendatur. (2)

Ex actis diurnis «Nemzeti Újság». Scripsit Alexander Hegedűs iun. Convertit Aladarus Kővári (Kaposvár).

Postero die Kovács aderat et cum Armenio constituit, ut diebus novembris 10.-o, 11.-o et 12.-o, cum ipse in conclavi posteriore moraretur, e theca nummaria cunctae scidulae sibi deferrentur denotandi causā. Die dicta Kovács consedit in conclavi posteriore et commercium inceptum est. Populus ibat redibatque ita, ut Kovács scidulas vix colligere posset. Nocte summam domi computans ad<sup>19</sup> mille pengones invenit. Postero insequentibus diebus denuo. Ardore inflammatus dixit ad uxorem: «O cara, haec vero fodina auri est! Statim emenda est! Plus enim trecentis milibus pengonum fert quotannis, id est: pretium ex acceptis anni exsolvetur». Neque vero diu habito consilio foedus<sup>20</sup> cum Vutenkó fecerunt<sup>20</sup> et exsolverunt ei illa sexaginta milia pengonum. Aliquot diebus post Kovács cum uxore tabernam acceperunt.

Pridie illius diei Vutenkó omnia bona fausta que cupiens iis valedixit et e conspectu<sup>21</sup> in aeternum evolavit.<sup>21</sup> Postero die Kovács cum uxore ardore inflammatus in tabernam iit, ubi uxorem ad thecam arcarum considerare iussit, ipse autem in conclavibus versabatur. At, pro!<sup>22</sup> celebritas loci valde exigua erat, ne quinta quidem pars prioris. Ad vesperum vix ducenti pengones redibant. Etiam

sequenti die reditus<sup>23</sup> perpauver fuit. Kovács non potuit intelligere, quomodo id fieri posset, sed fors ei subvenit. Aliquando enim apparuit quidam, qui assum, pisces, crustum, lactucam, coffeam iucunde comedit, quibus consumptis aequo animo abecedere voluit. Kovács autem arrepto homine: «Domine — inquit — forsitan etiam solvere<sup>24</sup> decet!»

«Solvere? — admiratur ille aspiciens nostrum Kovács. — Quos novos mores inducitis? Nuper<sup>25</sup> invitatus sum, ut venirem et ederem, quodcumque vellem, neque ullum assem solvendum esse. Tum non potui venire, ergo nunc adveni.»

Kovács obstupefactus interrogavit: «Quando erat nuper illud?»

«Equidem 10.-o aut 11.-o novembris. Aderant vero amicorum meorum nonnulli, qui tantum cibi se accepisse dixerunt, ut paene rumperentur,<sup>26</sup> neque assis pretium solvere deberent. Sicut dicitur, tanta erat frequentia tabernae, ut homines vix se commovere possent. Sed si tu pretium pro mercibus postulas, neminem nostrum redire videbis.»

Kovács labefactatus in sellam corrui. Nunc demum explanata est ei causa tabernae: turpiter se deceptum esse ab Armenio illo vafro<sup>27</sup>, qui amicos notosque tres dies gratuito aleret, cum ne unum quidem assem quisquam apud arcam solveret, scidulas autem arcarum in altero conclavi a se colligi iussisset; Vutenkó tria milia pengonum in epulas trium dierum gratuitas insumendo sexaginta sua milia aegerrime corrasa<sup>28</sup> surripuisse. In praefecturam<sup>29</sup> securitatis<sup>29</sup> publicae<sup>29</sup> cucurrit fraudem delaturus. Et inquisitus est Vutenkó, sed Armenius fraudulentus iam pridem fines transiit. Abiit cum pecunia Kovácsiana aliquo ad cognatos suos in Turciam.

*Finis.*

<sup>19</sup> ferme <sup>20</sup> szerződést köt = Vertrag schliessen = passer un contrat <sup>21</sup> eltűnik = verschwinden = disparaître <sup>22</sup> sajnos = leider = hélas <sup>23</sup> bevétel = Losung = recette <sup>24</sup> fizet = zahlen = payer <sup>25</sup> multkor = unlängst = naguère <sup>26</sup> megpukkad = bersten = crever <sup>27</sup> ravasz = schlau = rusé <sup>28</sup> összekuporgat = zusammenscharren = amasser sou par sou <sup>29</sup> rendőrség = Polizei = policei

## LECTORIBUS MINIMIS.

### locosa.

Senex in itinere mortuus est, quem propinqui domum vehi iusserunt, deinde in taberna florum coronam floream faciendam<sup>1</sup> curaverunt,<sup>1</sup> cuius in taenia<sup>2</sup> lata haec inscriptio esset: «Requiesce in pace!» et si praeterea in ambobus lateribus satis loci maneret, haec altera inscriptio adderetur: «Supra, in caelo occuremus». Mercator ipse tum non erat in taberna, quare quae mandata erant, servus puerilis denotavit. Cadavere iam in aula elato corona florea advenit, quae cum ad arcam<sup>3</sup> posita esset, homines, quamquam lugentes, inscriptione perlectā subito ridere inceperunt. Inscriptio enim ad verbum haec erat: «Requiesce in pace in ambobus lateribus, et si satis loci manebit supra, in caelo occuremus».

*Eva Nemes disc. Elisabethei Bp.*

<sup>1</sup> csináltat = machen lassen = faire faire <sup>2</sup> szalag = Band = bande <sup>3</sup> koporsó = Sarg = cercueil

1. Autocyclista<sup>4</sup> in quodam vico parvo anserem obtrivit.<sup>5</sup> Possessor anseris 35 pengones ab eo poposcit. Autocyclista indignabundus interrogavit: «Pro anserem exili 35 pengonem postulas?» — «Doleo, — respondet rusticus — sed si anserem post duos menses obtrivisses, tum iam magis saginatus<sup>6</sup> esset.»

2. Magister naturam thermometri discipulis explicat. «Thermometrum — inquit — ex hydrargyro<sup>7</sup> conficitur, quia hic liquor non congelatur.<sup>8</sup> Quis scit etiam alium liquorem, qui non congelatur?» — «Ego, — surgit Franciscus — talis liquor est aqua fervida.»

Lad. Almássy, disc. Klauzaliani (Szeged).

1. A: Audivistine Edisonem mortuum esse? — B: Quis fuit Ediso? — A: Nescis? Inventor luminis electrici. — B: Ergo nunc iterum oleo utemur collustrandi<sup>9</sup> causa?

2. Cingarus caligas<sup>9</sup> et farcimen<sup>9</sup> furatus est. Iudex interrogat eum: «Quid potes dicere, ut te excuses?» — «Nihil aliud, — respondet Cingarus — nisi hoc: caligas in cella<sup>11</sup> penaria<sup>11</sup> esse dedecet.»

Benedictus e comilibus Széchenyi disc. Piani (Pécs).

1. «Dic mihi, domine, apta-ne sit haec aqua morbo<sup>12</sup> articulari<sup>12</sup>» interrogat hospes aquarum<sup>13</sup> incolam loci, qui respondet: «Sane quidem, domine, ego quoque inde in morbum cecidi.»

2. Paulus parvus adit vicinum et dicit: «Pater Fekete, oro, commodes<sup>14</sup> nobis grammophonum tuum.» Vicinus interrogat: «Forsitan delectari vultis grammophono?» — Paulus: «Non, dormire volumus.» — Vic: «Ergo cur desideras grammophonum?» — Paulus: «Nam usque ad hoc tempus tu cecinisti<sup>15</sup> hoc instrumento, quare non potuimus somnum capere. Sed si grammophonum commodabis, statim poterimus dormire.»

Emericus Schumicky disc. Werbőczyani Bp.


1. Magister: «Hem, Colomanne, quid denuo fecisti? Unguibus<sup>16</sup> laceratus<sup>16</sup> es. — Colomannus: «Heri in aliam domum migravimus, et ego felem portavi.»

2. Magister: «Quando Tartari irruerunt in patriam nostram?» Discipulus: «Nescio, domine magister, ego enim tum aegrotus eram.»

Geysa Mizsei disc. (Jászberény).



Viator in curru ferriviario indignabundus exclamat: «Nisi de capite meo descendis, statim conductorem advoco. Mea enim tessera primae classis est, tua autem tantum tertiae classis.»



Uxor: Non possum tranquille spectare te desudentem in his vilibus ponderibus.

<sup>4</sup> motorkerékpáros = Krafradfahrer = motocycliste <sup>5</sup> elgázol = überfahren = passer sur le corps <sup>6</sup> hízott = gemästet, fett = appâter <sup>7</sup> higany = Quecksilber = vif-argent <sup>8</sup> megfagy = einfrieren = geler <sup>9</sup> világításra = zur Beleuchtung = éclairage <sup>10</sup> csizma = Stiefel = botte kolbász = Wurst = saucisse <sup>11</sup> étéskamra = Speisekammer = garde-manger <sup>12</sup> rheuma <sup>13</sup> fürdőhely = Badeort = station balnéaire <sup>14</sup> kölcsön ad = leihen = prêter <sup>15</sup> játszik = spielen = jouer <sup>16</sup> összekarmol = zerkratzen = dévisager

Dē Speculō<sup>1</sup> Rusticus in quodam pago parvo Aegypti nondum speculum vidit. Cum aliquando in oppidum ivisset, mercator persuasit ei, ut uxorem necopinatam: speculum emeret. Quod rusticus bene non conspexit, sed statim in fasciculos<sup>2</sup> colligatum<sup>2</sup> domum portavit, ubi in conclavi statuit. Re emptā valde contentus, quiete decubuit, ut paululum quiesceret. Paulo post uxor eius intravit in conclave, in quo speculum stabat, et mirata portam spectavit, per quam femina peregrina in conclave intrare ei visa est. Speciem arcanam<sup>3</sup> larvam esse putans et terrore<sup>4</sup> percussa<sup>4</sup> clamare coeperat. Homo quoque terrore percussus statim exsiluit ex lecto et cum ad uxorem accederet, stupens<sup>5</sup> conspexit apud uxorem hominem peregrinum. Uxori coeperat maledicere propter infidelitatem, quae vicissim marito maledicere incepit propter feminam peregrinam, quae iuxta eum stabat. Discordiā auditā accurrerunt vicini, qui item obstupuerunt<sup>5</sup> spectaculo insolito. Unus ex vicinis aufugit, ut iudicem<sup>6</sup> advocaret, qui paulo post adfuit, et graviter intravit in conclave. Clamor quoque statim finis factus est, iudex autem in speculo sese videns voce castiganti<sup>7</sup> dixit: «Cur advocavistis me, si iam hic fueram?!»

Hugo Rác disc. Makónensis.

<sup>1</sup> tükör = Spiegel = miroir <sup>2</sup> becsomagol = einpacken = empaqueter <sup>3</sup> titokzatos = geheimnisvoll = mystérieux <sup>4</sup> perterrita <sup>5</sup> megrökönyödve = verblüfft = engourdi <sup>6</sup> vulgo: kadi <sup>7</sup> feddő = tadeln = réprimander

## LECTORIBUS MAIORIBUS

### Systema stenographiae S.-is Taylor. (11)


Ad linguam lat. accomodavit I. C. Danzer Pesthini 1802.

18. Nomina propria locorum, personarum & c. in fine ultimae consonantis lineola transversa notantur. Nro 20. In describendis vero iis nominibus propriis, quae ex contextu ipso non satis luculenter intelligerentur, neque e talibus consonantibus componuntur, quae elisis vocalibus nullum dubium significationis relinquerent, satius erit scriptura communi uti. Eadem de causa vocabula inusitata & obsoleta, ab usu quotidiani sermonis remota, quem admodum & novata atque extranea, literis communibus scribere oportet. Quae quidem ratio etsi imperfecta esse videtur, minime tamen tanti censenda est, ut eos, qui utilissimo stenographiae studio tenentur, ab eodem abstertere possit.

19. Numeri, quibus vulgo utimur, ipsi quidem jam signa arctiora scripturae sunt; sed & hi in multo breviorum ambitum reduci debent, prout id exemplo Nro 21. elucescit. Characteres numerici a lineola transversa initium capiunt, quo, eos numerorum unum signa esse, appareat; cum vero plures numeri continenter scribendi sunt, primum eorum ea lineola notasse sufficiat. Nro 22. — 20. Interpunctiones in scriptura stenographica penitus omittuntur. finis tamen periodi, majore quodam intervallo, aut si cui ita videatur, duobus punctis (:) indicari potest. Hisce regulis bene perspectis, usuque crebriore accedente in memoriam defixis, succedit ipsum in scribendo exercitium.

§. VI. Scribendi exercitatio. Ac prima quidem hujus exercitationis methodus sequens est. Ea, quae stenographice describere cupimus, prius consuetis literis exarentur, omissis tamen vocalibus intermediis; vocali autem initiali, si qua adesset, puncto praefixo, notata, ut supra praecepimus. Vocales, quibus integrae voces terminantur, syllabaeque finales, quae proprios characteres habent, suis quoque literis integre scribantur, prout sequens exemplum, tabula IV. una cum notis stenographicis subscriptis exhibitum, docet: . mns hmns qi sese stdnt prstre ztrs . nmlb sma . pe nti dzt ne vtm slnzo trnsnt vlti pkra qae ntra prna . tq vntri . bdnza fnxt :

His tali modo descriptis, congrui characteres stenographici, secundum praecepta supra stabilita, subscribantur, quo scribendi ratio stenographica omni cum accurate perficiatur. Postquam vero



Prospectus ex horto regio ad Danuvium et Budapestinum. Statua equestris Eugenium Sabaudicum memoriae tradit.

futurus stenographus istam vocalium intermediarum omissionem magis familiarem sibi reddidit, ad vivam alterius dictantis, vel sui ipsius vocem, vires suas experiat. *Continuabitur.*

### De sonis coloribusque Budapestini.

Urbs Budapestinum omnino musice videtur: etenim musice Danuvii aquae sunt, quae vocibus gravibus (italice «basso») et gravibus mediis (italice «baritono») secundum ripas canentes apparent, ut in modos plenos ac viriles (italice «melodie tenorili») pontium pilis interruptos ascendant; elegos autem luscinae amore captae in insula Margaretha canunt ac sonant, leves denique vividasque cantiunculas (italice «ariette») hortorum, pratorum et collium frondes suaviter edunt. Praeterea passeruli, acri frigore rigentes, quodvis receptaculum summa contentione quaerentes et singuli, bini, centeni, de ramis in ramos, de arboribus in arbores, de arboribus in vias stratas volitantes, illis, qui transeunt, omnino neglectis, cum suo tristi «cip-cip» utuntur, quasi susurrant. Nonne candida imminens luna, si quis eam a pontibus et collibus adspiciat, aliquid suave beethovenianae musices proprium exprimit, dum obscurae viae stratae, tantum incerto caeruleo lucernarum electricarum lumine splendent, pucciniae musices aliquid resonare videntur? Hydraulici quoque in templis, in omnibus templis, etiam in minimis, sonant omnesque, maiores minoresque natu, Cingarorum neias et regionum desertarum (quod hungarice «puszta» appellatur) carmina, in quibus quaedam remota stirpis vox inest, et Germanorum atque Itolorum, praesertim Neapolitanorum civium, cantus concinunt, in quibus quoddam solis, maris caelique Neapolitani sinus et insulae Caprearum desiderium animadvertit.

Praeterea urbs Budapestinum quasi tabula variis coloribus picta tota apparet: viridia fusca enim sunt horti, prata arborumque comae; caeruleus Danuvius atque interdum luteus et sufflavus; rava caligo, quae nonnullis diebus omnia replet, in omnia diffunditur ita, ut urbs Budapestinum cum suis concentibus, flumine, aedificiis, monumentis hominibusque e conspectu, ut ita dicam, evolet nobisque in excelsis montibus esse videamur, cum nebula ascendat, nos cingat atque ab omnibus rebus separet. At, quotiescumque sol rursus fulsit et in fluminis aquis se submersit vel in tectis subrisit vel quasi amicis oculis inter aedificia aspexit, tunc Budapestini musica et concentus maiore venustate, splendidiore luce, secretiore fascinatione praedita esse videntur, dum solis calor hominum vires recreat, qui tarde fluentem Danuvium atque naves vapore actas tacite praeterlabentes, immotis oculis, lucis solisque tantum cupidi, observant.

Cum autem multa nix delapsa est, rerum aspectus a mane ad vesperum variatur: mane, postquam a lecto surrexisti, omnia candida adspicis: candidas vias, candidos colles, candida denique sedificiorum tecta et nivis plumas, sarta, opera acu picta, denticulata texta inter se implicata, decidentia, se incurvantia et flectentia ante oculos habes: candida sunt monumentorum capita virostantium vel equis insidentium, armorum vel paludamentis indutorum; candidi flocci frondibus atque arborum ramis dependent. Sol oritur! Ecce, omnia splendent et albicant: nix murmurat et cum suis innumeris particulis movetur. Sed vesperi, quasi dicam, illa acquiescit et minus procax fit, noctu autem quoddam album larvale conspicias.

\*

Olim post meridiem, sole fulgente, de summo divi Gerardi monte naturae miracula spectavi: ante et sub me tota urbs Budapestinum cum infinitis sonis et coloribus patebat. Tunc trans horizonta Italiae lucem, solem coloremque caeruleum commentus sum.

*Aldo Marsili*, doctor in italicis scholis mediis.



## M. Babils: In tumultum Hegesonis.

*A duobus milibus usque dormit  
et manet me annis tacita et fidelis,  
nomine Hegeso, mea tunc soluta<sup>1</sup>  
Graeca puella.*

*Tota tristis, marmoreo colore,  
seria atque ut vivida spiritus a  
pectore umquam tollere per stolam non  
conspiciatur.*

*Prona mundos eligit arculā ad se ab  
servulā tentā placitura sponso,  
vel mihi — spes maesta animi calentis —  
mox venienti.*

Metro Sapphico servato reddidit  
Robertus Frankl disc. gymn., Mátyásföldiensis.

<sup>1</sup> sc. morte

## Librorum recensio.

**Prohászka Lajos:** *A platonista Cicero.* (Akadémiai székfoglaló értekezés.) Bp. 1942. Pag. 71. — Certum est Ciceronem haud immerito non multis illis viris adnumerari, qui vim indelebilem in cultum atque humanitatem nostrorum quoque temporum exerceant. Cicero principium Platonis anthropoplasticum comprobans idemque tamen rationi scientifico-obiectivae subiiciens artem rhetoricam philosophicam reddidit, immo sensu platonismi praecipue paedagogico artem rhetoricam in doctrinam generalem cultus et humanitatis dilatavit. Qua quidem ratio instituendi posteriorum aetatum constituta atque ab aevo Christiano hereditate accepta est. Auctor summae eruditionis oratione istā aditā, quā in Academia Scientiarum Hungarica omnia thesuros suae problemata pervolvit, vim effectumque Ciceronis institutione scholasticā in vitae humanae rationes, sensum moralem iudiciumque litterarum usque ad hos dies perpetuo viguisse docet. In certamine, quo nostris diebus traditiones invaduntur, fundamenta cultus et humanitatis considerare omnino omnium interest. Impulsiones idearum Platoniarum secum revolvens auctor sibi persuasum esse profiteretur culturam, quae dicitur Europaea, necessario tolli, nisi traditio spiritu Platonico formata crescat, floreat, vigeat.

Julius Kováts dr., Bp.

**Tomasz Jenő:** *A római földkérdés* (Quaestio agraria apud Romanos). Parthenon, Franklin-Társulat. Budapest. 1943. Pag. 96. Pretium libri conglutinati P 3.20. — Quamquam scriptores et poëtae Romani (Cato Maior, Terentius Varro, Vergilius, Columella, etc.) semper laudabant officium triplex agricularum (defendere, quaerere, colere patrios fines), tamen senatus optimatesque per saecula neglexerunt sortem rusticorum, qui militantes agrosque suos colere nequeunt plerumque in aes alienum incidunt, quare rure relicto in urbem migrantes auxerunt multitudinem egenam panem et circenses postulantium. Cincinnatus possessor agelli 4 iugerum ab aratro dictator in bellum vocatus est. At postea magistratus maiores, senatores equites tantas divitias habebant, ut «latifundia perderent Italiam» (Plinius minor). Quod malum dictatores et imperatores legibus agrariis aut coloniis deducendis sanare conabantur, sed fere «sero medicina parabatur.» Quia quaestio agraria hisce temporibus magis quam unquam apta est, liber Eugenii Tomasz omnibus, quibus salus civitatis cordi est, perimpense commendatur. Auctor huius rei peritissimum materiam tam singulari artificio tractat, ut miscens utile dulci revera omne tulerit punctum.

**Kallós Ede:** Nevek, napok (nomina, dies). Dr. Vajna és Bokor, Budapest, 1943. Pag. 384. Pretium libri conglutinati P 16.—. Persaepe accidit, ut socii et lectores nostri praenomen suum mendose latine reddant. Hic liber, cuius auctor antiquitatum historiaeque peritiam iam aliis libris demonstravit, ordine alphabetico omnia praenomina enumerans, quorum de origine, significatione, historia docet lectorem, omnibus perutilis esse videtur, quorum interest scire historiam praenominum. Etiam multae opiniones falsae ab auctore aperiuntur corrigunturque. Sic *Etelca* praenomen antiquum Hungaricum esse videtur, quamquam primus *Andreas Dugonics* a. 1788 hoc praenomine usus est in fabula romanensi, quae inscribitur *Etelca*. Illis temporibus *Etelca* et *Ottília* eadem praenomina esse putabantur. Quo errore eliminato nunc propter similitudinem soni *Etelca* et *Adelhaidis* pares factae sunt, quare puellae *Etelca* aut *Adelhaidis* nominatae, si catholicae sunt, die XVI m. Decembris, protestantes autem Nonis Febr. nomen lustricum celebrant. Me haud errare puto praesagiens permultos fore, qui hunc librum argumentosum emant.

## Sappho: 1. Kleis pulchra.

*Est mihi puella pulchra parque flori forma,  
Kleis, aureo, cui carissimae nec omnem  
Lydiam nec gratam, amoenam Lesbion antepono.*

## 2. Precatio sororis.

*Nerei natae, incolumem, precor vos,  
Reddite, heus, fratrem mihi, dedite, optans  
Quaeque voluit ille animo in calenti, ut  
Perficiantur,*

*Quaeque commisit scelera omnia, almae i-  
Gnoscite, atque ut afficiat suos iam  
Gaudio, servate, sit hostibusque  
Vindici, amanti*

*Sed sorori deliciis, mihi ille  
Comparet laudemque levetque curis  
Gravibus tandem me anima ante saepe  
Excruciatam.*

Metris Graecis servatis in Latinum convertit  
Robertus Frankl disc. cl. VIII. gymn. Mátyásföldiensis.

## AENIGMATA.

**Solutiones aenigmatum numeri VIII.** (m. Apr.): 1. Rima idem, meto, Amor. — 2. Honor, odore, nolit, oriri, retis. — 3. Flavius Vespasianus. — 4. Publius Vergilius Maro. — 5. Inter duos litigantes tertius gaudet.

6. *Odi profanum vulgus et arceo.  
Favete linguis! Carmina non prius  
Audita Musarum sacerdos  
Virginibus puerisque canto.*

7. Aquila non. Non scholae. Contra vim. Ut desint. Sapientia. Manus. Absque pugna. Requiescat. Te Deum. Inter arma. Usus magister. Sic itur. — 8. Ver-noverca.

**Aenigmata recte dissolverunt** ex 23 scholis 103 discipuli. Praemium sorte obvenit **Gabrieli Reinitz** (Berzsenyanum), **Ladislao Gyenes** (Keményianum), **Guillelmo Bartsch** (gymn. IPEA) Budapestinensibus; **Josepho Polgár** (Maurinum) Papaensi; **Zoltano Boros** et **Andreae Faller** (Cisterc.) Quinqueecclesiensibus; **Mariae Tóth** et **Iudithae Pintér** (Ursulanum) Scarabantinis. **Georgio Kádár** (Ybliamem) Alba-Regiensi; **Georgio Tüttös** et **Stephano Horváth** Vesprimiensibus.

1. *Acrostichum.*

. ratio	. ger	. orvus	. etus
. unus	. acca	. mago	. beliscus
. octua	. ter	. actus	. epetito
. nter	. emo	. dditoi	

Expletis his vocabulis litterae initiales dictum Vergilii notissimum dabunt. *Olga Jákó* disc. Szolnokiensis.

2. *Interpretatio iocosa.*

Convertite in sermonem Hungaricum haec verba iocosa :

Mea mater lupa est filium in silva.

*Ioannes Schultheisz* disc. Szekszardiensis.

4. *Logogriphus.*

Effusis lymphis spissus ruo culmine caeli.

Tollitor ex mediâ consona voce mihi !

Hesperiae fueram quondam vetus incola : victum  
victrix Roma suum iunxit ad imperium.

*Fr. Palata* Trebicensis (Moravia).

5. *Ad saltum equulei.*

	ac-	fi-	lu-	li	est		
	lm-	po-	tum	ti	et	cae-	
per-	est	e-	nem-	vo-	non	pe-	quid-
	que	men-	ten-	su-	a	bet,	
sa	re,			ha-	ri	quid	


*Eva Brâmer* disc. Veresiani Bp.

6. *Aenigma adamantinum.*

1. A Consonans stat loco primo.
2. A D D liquor dulcis in secundo.
3. D E E E E Hae sunt deae poeticae.
4. E E L L M M O Maesta vides me facie.
5. O O O P R Hoc «offendo» significat.
6. R S S Forma verbi «esse» hic stat.
7. U Vocalis est pars ultima,  
qua finitur hoc aenigma.

*Catharina Szécsi* disc. Veresiani Bp

7. *Camelus.*



*Ad libram* : 1. Qu. 5. Constituere. 11: Ad forum perti-  
nens. 12. Interiectio. — *Ad perpendicularum* : 1, 2. Pronomen  
interrogativum. 3. Adverbium numerale. 4. Spatium.  
12. mensium (gen. sing.). 6. E F. 7. Vim adhibui, necessi-  
tatem attuli. 8. Femina, quae accusatur. 9. Forma verbi  
«esse». 10. Instrumentum remigandi.

*Ernestus Hidvégi* disc. gymn. conf. Helv. Bp.

3. *A Milone usque ad Catonem.*

Milo					Cato
------	--	--	--	--	------

*Iulius Szedenics* disc. Toldyani Bp.

8. *Ex sententiis.*

- ..... principium melior fortuna sequetur.
- ..... oculis superi mortalia iustis.
- ..... sanus, ablue saepe manus.
- ..... in rebus, sunt certi denique fines.
- ..... para bellum.
- ..... ne culpes, cum sis tibi causa doloris.
- ..... his tribuenda fides, qui multa loquuntur.
- ..... labuntur tacitisque seneximus annis.
- ..... iuven um vigilatae corpora noctes.
- ..... facit philosophum.
- ..... more turpi vita potior.
- ..... deficiant, animus tamen omnia vincit.
- ..... voluptates, moret empta dolore voluptas.
- ..... res agitur, paries cum proximus ardet.
- ..... humanum est.
- ..... facti, qui coepit habet.
- ..... punctum, qui miscuit utile dulci.
- ..... vacuus coram latrone viator.
- ..... leonem.
- ..... fides comitum poterit mala nostra levare.
- ..... et voluisse sat est.

Sententiis recte expletis litterae initiales dictum Ovidii dabunt. *Victor Hardy* disc. eiusdem gymn.

*Nota.* Lectoribus minimis : 1—3, mediis et maioribus 4—8. — Discipuli eiusdem scholae solutiones a magistro suo collectas in communi involucro epistolae ad moderatorem *J. Wagner* (Budapest, XI., *Lágymányosi-utca* 20). mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseiket közös borítékban küldjék be a szerkesztőségbe.)

**Epistolia officialia.**

**Corrigenda numeri 9** (m. Maii) : pag. 66 : pro «Rob. Frank» lege : Rob. Frankl.

Mense Maio 9 ioca, 4 carmina, 3 aenigmata, et 3 alia opuscula accepi. Discipuli, qui regularum metricarum imperiti sunt, monentur, ne carmina latine reddere conentur. Imitamini dictum Horatii : «nonum prematur in annum» — *M. Bella*, *El. Gyopáros*, *H. Rác*. Epistolis Vestris latinis nec non carmine Elisabethae Gyopáros non mediocriter commotus sum. Dolendum est, quod haec scripta propter inopiam spatii edere non possum. Duas tantum strophas hic memoriae trado :

«Valere iubemus item Lectoribus Iuventutis  
Caram nostram Iuventutem ! Salutem notis, ignotis  
Oh, quot horas tam hilares Dicimus hoc pulchro die  
Legebamus te ridentes ! Puellae Scarabantinae !»

Faxit Deus, ut testimonium maturitatis pulcherrimum mereatis accipiatisque ! — *Z. Gaál*. Vestrae quoque litterae vale dicentes gaudio me affecerunt, maluissem tamen litteras latine scriptas legere. Faveant Superi conatibus vestris, sit tentamen maturitatis felix faustum fortunatumque ! Valete ! — Narratio *Mauritii Jókai*, quae inscribitur : «De duabus salicibus Enyediensibus (= A nagyenyedi két fűzfa), latine reddita in libello eleganti, imaginibus, annotationibus et vocabulario instructa, a *Ladislao Juhász dr.* (Szeged, Horthy kollégium) venditur. Pretium 1.60 pengoe. Numerus chartulae nummariae postalis : 12.685 Novem exemplaribus decimum gratis additur.

**Sociis lectoribusque moderator et administrator otium amoenissimum per aestivas]ferias exoptant.**